

1709, 5
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
De
**PRINCIPE LEGIBUS
SOLUTO,**

Quam
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,**

SACRAE CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLE-
SIARUM MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CA-
NONICO CAPITULARI SENIORE,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORII que
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPALE &c. &c.
PRO-RECTOR MAGNIFICO,

Dn. JOANNE PHILIPPO Streit/J.U.D.

Regiminis Electoralis Moguntini Consiliario, & Facultatis

Juridica p. t. DECANO,

*Ex DECRETO & AUTHORITATE MAGNIFICI JCtorum ORDINIS
IN ACADEMIA ERFURTENSI,*

PRO LICENTIA,

*Summos in Utroque JURE HONORES & PRIVILEGIA
DOCTORALIA capessendi,*

In Auditorio Juridico Majori

Die 17. Aprilis 1709. horis confectis.

publicè defenderet

JOHANNES CHRISTIANUS Schelle/


In Acad Lipsiensi Moralium & Politicæ P.P. Ordin.

ERFFORDIAE, Typis Groschianis, Acad. Typogr.



SCOTTISH PEGIBUS

卷之三





§. I.

Deo varia popolorum natura
variaque imperandi forma, le-
ges diversæ latæ sunt, &
feruntur, sine quibus ea obti-
neri non possunt, quæ ad con-
venientem Reip. vitæque con-
servationem ac felicitatem statu suo dignam per-
tinent. Asiaticos enim populos, si quis aliis legibus,
quam quibus Turcæ reguntur, domare vellet,
imperium sine dubio mox interitum haberet,
quoniam in iis regionibus cœlum & educatio,
servilis naturæ producit populum, quem tali
ratione tractari necessarium est. Aliis vero Eu-
ropæ populis si quis easdem leges dictare vellent,
Principatus ipsius non subsisteret. Hinc nemo
inficias ibit, in ferendis legibus summam pru-
dentiam adhibendam esse, ita ut, sicut equo-
rum domitor prius animalis naturam & peculi-

A 2

ares

tares dotes explorat ante quam determinare possit, quæ freni species equo alicui conveniat; Ita legislator leges dare nequeat, nisi prius naturam & affectus, qui in populo suo prævalent, accurate cognoverit.

§. II.

Ut autem subjectum obstringatur legum vinculo, requiritur ut usu rationis polleat; Lex siquidem dirigere non potest eos, qui sunt inhabiles ad vim legis intelligendam. Hinc infantes, furiosi, mente capti, legibus non tenentur. Si tamen furiosum, aut mente captum inducas, ut hominem perimat, aut flagitium aliud committat, tunc graviter peccas, quia furioso uteris tanquam instrumento, ad facinus perpetrandum, adeoque facti improbitas tibi tanquam causæ principali adscribitur. Similiter si ebrio, aut etiam illi, qui legem inculpabiliter ignorat, actum, jure prohibitum suadeas, culpa non vacas, quia concurris tanquam causa ad actum illicitum.

§. III.

Requiritur insuper, ut sis verus vel quasi subditus

ditus illius Reipublicæ, pro qua lex lata est. Etenim obligatio legis supponit ex parte obligantis, potestatem in personam, adeoque nisi legislatori subsis, non poteris ab eodem legum vinculo constringi. Dubitatur tamen de multis, an teneantur legibus? Sic disputatur à nonnullis de Principe, Clericis, de absentibus loco, in quo habent domicilium, de vagabundis, &c. Ego in præsentiarum brevissimis disquiram, num Princeps sit solutus legibus, num iisdem teneatur?

§. IV.

Divinis legibus Princeps solutus non est, quia his inferior. Indigna igitur vox est Juliae ad privignum Anton. Caracallam: Si libet, licet; An nescis Imperatoris esse leges dare, non accipere? Detestanda quoque sententia judicum ad Cambysen: nullam se invenire legem, quæ finat fratri nubere sororem, sed aliam, qua Regi Persarum liceat facere quicquid libet. Difficile tamen est, Principem ad harum semper legum observantium adigere. Unde Justinianus in Novell. 23. c. 2. dicit: Quis tantæ majestatis est, ut nolentem principem possit coarctare?

A 3

§. V.

§. V.

Neque à Naturalibus legibus erit immunis, quatenus hæ sunt regulæ humanarum actionum, quibus ea jubentur aut vetantur, quæ creaturæ rationali, qua tali, sunt consentanea, aut dissentanea. Hinc decreta Juris naturæ mutare, & Neronis in matrem ac uxorem parricidia, Caracellæ & Tiberii fratricidia, Augusti, Tiberii, Vitelii, Vespasiani Sodomiam approbare, & per consequens ex licitis licita facere non potest.

§. VI.

Quantum ad Jus Gentium, vocabulo hoc aliquando id designatur quod ob utilitatem aliquam sine obligatione mutua apud plures gentes receptum est, quamquam sine respectu ad communem earum felicitatem; Quod jus, civile apud plures populos receptum dici potest, appellaturque inproprie Jus Gentium ideo, quia usu plurium gentium commendatur. Ethoc à quavis gente pro lubitu mutari potest. Jus Gentium vero propriè dictum, quod inter gentes quâ tales, cum mutua obligatione receptum est, v.g. inviolabilitas nega-

legatorum, ab una sola Gente mutari nequit, ita
ut obligatio ejus quoad hanc Gentem desinat,
Proinde Princeps hoc Jure proprio ita dicto te-
netur.

§. VII.

Quod leges positivas humanas atti-
net, de quibus primario proposita controver-
sia movetur, earum vis aut *dirigens* aut *cogens*
est. Illa dirigit in id, quod facere convenit,
& conscientiam obstringit. *Cogens* vero visua
ligat, ne quis contiaveniat metu poenæ, seu ipso
jure infictæ, seu per sententiam infligendæ, a-
deoque transgressorēm poenæ temporali reddit
obnoxium. *Vis dirigens* quandoque directe
quandoque indirecte obligat. *Directe*, si ratio, cur
lege teneamur, in voluntate legislatoris sit posita;
Indirecte, si occasione legis saltem obligamur. Sic
v. g. subditus tenetur directe legibus pro territo-
rio in quo degit, conditio. Si autem non sub-
ditus juramento se obstringat, quod observare
velit leges provinciæ alienæ, iisdem tenetur qui-
dem, non tamen virtute per legem intentata, sed
vi juramenti.

§. IIX.

§. IX.

Cum autem legis vis consistat in imperando,
vetando , puniendo , L. 7. ff. de LL. Se-
quitur, quod Princeps seu legislator non teneat-
tur vi legum suarum coactiva, etenim non agno-
scit in terris superiorem, à quo cogatur, ac pu-
niatur. Par in parem autem non habet impe-
rium, multo minus inferior in superiorem.

§. IX.

Princeps ne quidem tenetur vi legum sua-
rum dirigente, *direc̄te*, seu virtute per legem in-
tentata ; Quia tota legis vis pendet à voluntate le-
gislatoris ; Ergo non alios obstringit , quam
quos Legislator vult obstringere. Princeps sci-
licet simul superior ac obligans, iterumque infer-
ior & obligatus esse nequit, cum leges non si-
bi sed subditis præscribat. Ergo ipso legislator
lege sua non tenetur. Insuper ad legaliter obligan-
dum, supponitur ex parte obligantis jus superius :
Hinc Legislator non potest se ipsum obligare le-
galiter , quia se ipso non est superior. Cum
etiam materia legis positivæ, extra suam disposi-
tionem , sit indifferens, dici non potest princeps
pecca.

peccare , qui secus agit , ac leges positivæ , quas
nemo ipsi præscribere valet , jubent .

§. X.

Quando lex non tangit Principem , sed re-
spicit materiam , subditis propriam , tunc ne
quidem indirecte tenebitur lege sua . Recta enim
ratio non jubet , ut Princeps subditis suis in iis se
conformet , quorum observantia non decet sta-
tum & dignitatem Principis . Sic quis negabit lata
lege , ne quis venetur , principem tamen pro lubi-
tu venari posse ? Si legislator usum purpuræ inter-
dixerit , quis affirmabit , Principem hac lege te-
neri ?

§. XI.

Quando materia legis est universalis , ac
communis subditis & Principi , tenetur illa lege
saltus indirecte , non quidem ex ea ratione quâ
subditi , hi enim subsunt legibus , quia divinæ
ordinationi consequenter legislatori juste im-
peranti parendum est . Princeps vero , quia
sobest lumini naturæ , vi cuius bono publico
consulere , ac subditos tum verbis , tum
exemplis ad virtutem , legumque obedientiam
flectere debet . Hinc digna vox Majestate Im-

B

peran-

perantibus est, legibus obligatum se profiteri, nihilque magis imperio principis convenire creditur, quam leges, à quarum vinculo videtur immunis, servare. L. 4. C. d. LL. Idecirco Imperator Theodosius & Valentinianus recriplerunt in d. l. 4., de Authoritate juris nostra dependet authoritas. Quasi dicant, cum nullius magis intersit, quam Principis, legibus constare authoritatem, ipse eam augere debet exemplo oblique. Inquit Cyrus: neminem debere suscipere Principatum, nisi melior his, in quos susciperet. Scutens hoc esse principis unicum munus, aliis prospicere, & publicis consulere commodis, id autem non potest, nisi qui sapientia, vigilancia, animique integritate & virtute cæteros supereret. Et Münsterus l. 5. c. 13. in Cosm. ait: mirabile est, Ægyptios Reges non ex voluntate, sed ex lege vitam privatam egisse, & veluti privatos teneri legibus, neque id inique ferebant, existimantes, parendo legibus se beatos fore. Hac usi benevolentia Reges, omnium benevolentiam adeò affecti sunt, ut non solum sacerdotibus, sed singulis Ægyptiis, major Regis quam uxorum filiorumque inesset cura. Et sic, dicente quodam, omnia honesta & justa esse regibus, bene subjecit Rex Macedonum,

donum Antigonus: barbarorum hæc vox est,
nobis sola honesta pro honestis, non enim Rex
honesti justique regula, sed honesti justique mi-
nister.

§. XII.

Certe nihil æquius est, quam ut *quod quisque* juris in alterum statuerit, eodem ipse utatur. Quis enim aspernabitur, idem jus sibi dici, *quod in alios tulerit?* Quibus congruit cap. 6. X. de *Constit.* Et divus Pertinax in sua oratione expressit, non admissuum se hæreditatem ejus, qui litis causa Principem reliquerit hæredem, neque tabulas non legitime factas, in quibus ipse ob eam causam hæres institutus erat, probaturum: Neque ex nuda voce hæredis nomen admissurum: neque ex ulla scriptura, cui juris authoritas desit, aliquid adepturum. §. fin. *Inst. quibus mod. testim. infirm.* Quæ leges, similesque, quamvis sint propriè positivæ, ac ab omni necessitate juris naturalis sejunctæ, sicut & illæ: cum ex temporum spatiis actus legitimos metimur, aut cum leges de solennibus testamentorum feruntur, in quibus authoritas Legislatoris pro ratione est;

B 2

Nihil-

Nihilominus Divi Severus & Antoninus s̄epis-
sime rescriperunt: *Licet legibus soluti simus,*
attamen legibus vivimus. d. §. fin. l. 3. C. de te-
stam. Quia hac potestate in detrimentum &
incommodum subditorum uti noluerunt.

§. XIII.

Huc pertinet l. 4. C. ad L. falcid. ubi in
legatis principi relictis falcidia obtinet. L. 8. §.
2. ff. de inoffic. testam. ubi principe hærede in-
stituto testamentum nihilominus inofficium
dicitur. d. l. 3. C. de testam. & l. 23. ff. de legat. 3.
ubi ex testamento imperfecto hæreditatem sibi
vindicare nequit. L. 43. in pr. ff. de vulg. &
pupillari subſtit. ubi homini sane mentis adi-
mere testamenti factionem non valet. Et aliae,
in quibus ipsem Princeps à sua exemptione ab-
stinet, legem à se conditam factis & vita com-
probat, recteque facere subditos illustri exem-
plio docet; quæ tamen omnia nullam in Prin-
cipe legis observandæ necessitatem, sed debitum
honestatis important, i. e. illum lege sua sal-
tem indirecte teneri, denotant. Etsi enim le-
ges omnes ex recta ratione profiscantur, adeo-
que Princeps quoque ex instinctu rationis ad
earum

earum observantiam teneri videatur; Atten-
dendum tamen, eas non tam ex ratione, quam
sanctione potestatem hanc habentis proficisci;
neque omnes in ratione naturali, sed politica
& civilis, eaque pro ratione temporis & circum-
stantiarum mutabili fundari.

§. XIV.

His bene ponderatis, frustra recurritur ad
Cujacii l. 15. obs. 30. interpretationem L. Prin-
ceps 31. ff. de LL. & Novell. 105. quam ita intelli-
gendarum esse putat, ut dicatur, penes Princi-
pem esse omnem potestatem ferendarum, abro-
gandarum aut derogandarum legum; Utī Au-
gustinus ait in epistola quadam: Imperatorem
non esse subjectum legibus, qui habet in po-
testate alias ferre leges, non temere quidem,
sed ex iusta causa, atque adeo confirmare et-
iam posse ea, quæ jure facta non sunt. Hoc
enim non est in quæstione; Cum aliud sit
leges posse ferre, vel latas tollere, aliud iterum
legibus latis, & in vigore suo remianentibus te-
neri.

B 3

§. XV:

§. XV.

Angusta etiam nimis est Græcorum interpretatio , qui dicunt Princepem Legibus penalibus solutum esse , ita , ut Princeps delisti à se commissi , poenam legibus definitam non sustineat . Lex enim loquitur generaliter . Opinionis porro de Caduciariis , quam alii sovent , obstat , quod cesseret omnis dubitandi ratio , cum de his non sit quæstio , & Princeps , legibus Caduciariis , utpote penalibus , vel ad fiscum locupletandum spectantibus , absque ullo dubio solutus est . Et quid singulare esset in Princepe post abrogatas leges caducarias ? C. de caduc. toll. Vultejus ad d. L. Princeps distingvit inter legem Imperij & vocem imperantis seu regnantis . Legem Imperij dicit esse , ut Princeps sit legibus solutus ; Vocem regnantis nolle uti lege Imperij , sed velle legibus , quibus solutus est Princeps , vivere . Legem enim Imperij ita esse comparatam , ut nisi Princeps sit legibus solutus , non sit Princeps ; Quo jure etiam posset uti , si veller , sine exprobratione ; Si nolit , hoc ipsi esse libatum , & tunc ipsum se sistere , non ut Principem ,

cipem, sed ut quemvis alium de populo. Quæ
assertio videtur quoad nonnulla capita, conve-
nire cum conclusionibus à nobis antea datis.

§. XVI.

Hactenus de Principe soluto legibus in
genere. Jam ad præsentem statum Imperij R.
G. publicum specialiorem sed brevem applica-
tionem facere lubet. Recte vero Carpzovius
ad L. R. c. 12. sect. 2. afferit, Imperatorem R.
Legibus Civilibus quæ in imperio subditis la-
tæ, vel usu receptæ, solutum esse. Intelligitur
hoc vel ex sola natura summi Imperij. Hinc
in testando ad testamentarias, in judicando ad
judiciarias solennitates Imperator non est obliga-
tus, nec ordinem judiciarum de jure positivo
introductum observare tenetur, sed neglecto
juris ordine ex æquo & bono procedit de pleni-
tudine potestatis, ratumque habet processum,
alias nullum ex defectu ordinis & modi pro-
cedendi, si saltem causæ merita sint justa. Ex-
inde Doctores recte tradunt, Principi circa or-
dinem processus statuere licere, ita ut v. g.
spoliatus ante omnia non restituatur, sed prius
cognoscatur in petitorio. Ipla ratio publicæ
utili-

utilitatis quandoque expolcit, ut Imperator ad ordinem judicarium, in causis præsertim arduis, non adstringatur, cum Imperii tranquillitatem rigori solennitatibusque juris longe præferre debeat, ut motus & turbæ evitentur R. I, de ann, 1648. in pr. & passim.

§. XVII.

Jam uti quidem summus in Imperio Princeps solutus habetur legibus civilibus & privatis, (id quod mox quoque de ipsis Statibus Imperij G. affirmabimus,) ita tamen Eundem obligari legibus Imperij publicis, nemo puto negabit, nisi omnem pudorem ejuvaverit. Sed veritas hujus rei, simulque modus obligationis istius evidentius elucet, ubi ex doctrina politica quædam de affectionibus summi Imperij suppoluerimus.

§. XVIII.

Nimirum populi interdum consultum non dicunt, absoluto cuiusdam dominio rem publicam subjecere, cum unius hominis judicium in dispiciendo eo, quod salutem publicam vel promovet, vel impedit, facile seduci soleat

soleat, neque omnibus ea sit animorum firmitas, ut in plena libertate ista, impetus passionum, quibus homines per omnem vitam ab ripi solent, compescere valeant; Nonnullos etiam Reges alti, quos gerunt, spiritus excitant, ut plus ultra adipiscantur, atque gloriae praecipue bellicæ plus justo avidi, in bella non necessaria ruentes, se, simulque Rempublicam pericolo exponant.

§. XIX.

Porro, cum populis constet, certa instituta, certamque Rempublicam administrandi rationem genio suo, & naturæ Civitatis congruere; Hinc est, quod aliquando Principibus suis certum Imperii gerendi modum præscribant.

§. XX.

Hac ratione conquerendi causa. Illis non sufficeret, quod ad aliorum Monarcharum exemplum rebus fungi nequeant. Nam uti per liberam populi voluntatem ad Reip. administrationem sunt vocati, ita si conditiones illæ præscriptæ ad palatum non erant, licebat regimen declinare.

C

declinare.

declinare, aut convincendi erant Ordines Reip.,
leges propositas iniuitate aliqua aut incon-
venientia laborare.

§. XXI.

Quod si semel circumscripta illa potestas
Principi novo placuit, integrum postmodum
Ipsi non erit, ut à rationibus ejusdem resiliat,
atque pro lubitu de summa rerum disponat,
subversisque legibus publicis plenam ac absolu-
tam maiestatem, sive apertis ausibus, sive clan-
destinis machinationibus sibi vindicet.

§. XXII.

Fieri autem solet, ut summi Principes ad
Reipublicæ administrationem adstringantur
promisso vel generali vel speciali. Illud vel
tacite vel expresse dari potest. Frequentissi-
mum tamen est, ut expressis verbis illa gene-
ralis quoque promissio declaretur, & quidem
non sine juramento, ita ut plerumque simul
officia imperantis definiantur, v. g. ipsum sa-
lutem publicam procuraturum, bonos defen-
surum, malos coercitum, jura omnium ac
singulorum tuiturum, & sic porro.

§. XXIII.

§. XXIV.

His promissis Principem teneri, manifestum est, ita tamen, ut absolutum ejus imperium haud quicquam iisdem infringatur; Quoniam ad bene regendum quidem obligatus fuit, mediis tamen, quibus heic uti debeat, arbitrio ejus relatis. Proinde conscientia ipsius saltet stringi intelligitur.

§. XXIV.

Quod si facta fuerit à Principe *specialis promissio*, quâ nimirum rationes & media Remp. gubernandi simul accurate determinantur, v.g. se vectigalia & tributa nova non impositurum, foedera cum exteris non facturum, militem extraneum in Remp. non vocaturum, neminem feudis & bonis semel partis privaturum &c. Tunc iterum videndum, an Collegium certum fuerit constitutum, cuius consensum imperans debeat requirere, ubi futura tempora ab ipsis promissis iubent recedere; (Nam his semper tacita inesse videtur exceptio: *ni salus publica aliud poscat.*)

C 2

§. XXV.

§. XXV.

Hoc si factum deprehendatur, vel etiam ubi Princeps profiteatur, se cum populo in certas præscriptas leges per modum pacti convenisse, tunc strictissimo vinculo ad has censemtur teneri, ita ut si iis vim fecerit, non tantum reus habeatur violatæ fidei, sed etiam liberum sit populo, dissoluto per culpam Principis pacto, quod circa imperandum & parendum ante fuerat initum, obsequium huic in posterum negare atque quæ ipse fortassis contra Remp. aut membra hujus suscepere, irrita & nulla declarare.

§. XXVI.

Patet hoc ex natura pactorum. Interim ut ut speciale illud proinssimum obstat, quo minus *absolutam* Princeps potestatem habere queat, *summum* tamen ejus Imperium propterea esse non desinit. Non enim sequitur: Hic non potest circa omnia regni negotia libere disponere, ergo non habet summum imperium, ergo sum ipso superior, aut ipsi prorsus æqualis. *Summum* certe & *absolutum* non sunt

sunt unum & idem ; Illud arguit absentiam
superioris vel æqualis in eodem ordine ; Hoc
autem facultatem designat , pro lubitu exer-
cendi jura majestatica , ita ut imperata nostra
circa ullam tergiversationem vel provocatio-
nem cæteri lequi teneantur , non nisi parendi
gloria ipsis relata.

§. XXVII.

Jam ad summum Imperii R. Germ. Prin-
cipem breviter hæc applicabimus. Inter o-
mnes vero constat , coronam Eisdem Cæsaream
non prius imponi , quam in *Capitulationem* ,
quam vocant , solenniter juraverit. Non jam
disquirere vacat , à quo tempore mos ille præ-
cile invaluerit , neque tamen incongrue Seve-
rinus de Monzambano autumat , probabile
esse , antiquissimis temporibus jamjam à proce-
ribus Germaniæ juramento ab omnibus fere
Christianis Regibus præstari solito , hanc et-
iam fuisse claululam insertam : Quod Rex ve-
lit jura omnium & singulorum Germaniæ ci-
vium conservare , laudabiles & receptas in
Imperio consuetudines tueri &c. ; An vero ante
Caroli V. tempora peculiares quædam leges

C 3

fuerint

additæ & scripto quidem comprehensæ , id
quidem non satis liquere. Proinde hoc saltem
pro certo haberi posse , quod Carolo V. ad Im-
perium vocato solennis formula fuerit præscri-
pta, barbara voce *Capitulatio dicta*,

§. XXVIII,

Quod institutum per Electores postmo-
dum ad nostra usque tempora continuatum ,
tanquam laudabile & saluberrimum Puffen-
dorffius merito deprædicat. Nam ad existi-
mationem Ordinum utique facit, ut, cum si-
bi tanquam Monarchiarum aliarum subditis
pro lubitu imperari nolint , non credantur
ex contumacia , aut mera usurpatione illud
facere , sed quia in tales leges & conditiones
Imperatorem sibi elegerunt. Huic autem nulla
relinquitur causa querelarum , quod ex pro-
prio judicio agere nequeat cum iis , qui se Ipsi
subjectissimos multo cum verborum strepitu
profidentur, sub initium enim Capitulationis in-
genue pronuntiat, sele in has leges Imperium
ex libera voluntate accepisse, atq; de iisdem cum
Electoribus pro se & omnibus Principibus ac Sta-
tibus Imperii convenisse. Quemadmodum igi-
tur

id
em
m-
ri-

o-
n,
en-
ti-
si-
tis
ur
ud
es
lla
o-
psi
tu
n-
m
m
ca-
gi-
ur

tur licebat Imperatori , rejectis , si duriores vi-
debantur , legibus , alij qui non erat defuturus ,
Imperium relinquere , ita , postquam accepta-
vit circumscriptam hanc potestatem , nefas erit ,
eam in absolutum dominium velle convertere .

§. XXIX.

Tenetur igitur Cæsar Capitulatione , de quâ
loquitur . Sed quæritur nunc præcipue ,
quousq; obligatio illa valeat ? Res clarior erit
si attendamus , (i.) per Capitulationem non fie-
ri saltē generale aliquod promissum , de quo
supra §. 22. tradidimus , quod eodem nou nisi
propria conscientia Princeps obligetur ; sed po-
tius est evidentissimum , speciale valde , imo
specialissimum heic dari promissum , quippe
quo Imperator non tantum pollicetur : Se nul-
lum in Germanicum Imperium affectaturum es-
se jus hæreditarium , art. 35. Cap. Jos. Sed & viæ
illæ per eandem Capitulationem obstruun-
tur , quibus ad jus hæreditarium consequen-
dum uti fortassis posset , v. g. absolute Cæsari
adimitur potestas proscribendi Statum Imperij
art. 3. & 27. Cap. Jos. , conferendi feuda vacua
& caduca , art. 29. dict. Cap. concedendi votum

no.

novum & lessionem in comitiis art. 43. d.
Cap.

§. XXX.

(2) Observandum, quod sicuti in Capitulatione accurate præscribitur norma administrandi Imperii, ita in exercendis potioribus Juribus ad Electorum, vel etiam reliquorum interdum statuum Consentum Imperator adstringatur, wir sollen und wollen auch in wichtigen Sachen / so das Reich betreffen / und von hoher Präjudiz und weiten Aussehen sind/ bald Anfangs die Churfürsten als Unsere innersten Räthe vernehmen/ auch nach Gelegenheit der Sachen/Fürsten und Ständen rathbedenkens Uns gebrauchen / und ohne Dieselbe hierinnen nichts vornehmen. conf. art. 3. 10. 12. 13. 15. 16. 17. 20. 27. 28. 29. 32. 33. 37.

§. XXXI.

(3.) Attendendum, quod Imperator profiteretur in procœdio Capitulationis, se per modum pacti ad articulos præscriptos velle obligari, daß wir Uns mit Denselben u. Gedingen und Pact weise dieser nachfolgenden Articula vereinie

einiget / verglichen / angenommen und zu-
gesaget.

§. XXXII.

Hæc si benè pensitemus, junctis quæ su-
pra §. 20. dedimus, principiis politicis, nullo ne-
gotio colligimus, obligari Imperatorem ad Ca-
pitulationem ex lege naturali, ita ut actiones E-
jus publicæ, non simpliciter committantur Ipsius
conscientiæ, sed ut potius actus omnes, quos
contra eandem suscepit, ipso jure sint nulli.
Docet hoc imprimis art. 37. Cap. Ios. Wir
wollen und sollen auch in dieser unserer Zu-
sage der Wahl-Capitulation oder guldnen
Bull, der Reichs-Ordnung / oder wie die-
selbe inskünftige geändert und verbessert
werden möchten ic. auch andere Gesäze und
Ordnungen / so jezo gemacht oder künftig
durch uns mit der Churfürsten / Fürsten /
auch andern Ständen des Reichs / Rath
und Zuthung möchten aufgerichtet werden/
zu wieder / kein Rescript, Mandat oder Com-
mission ausgehen lassen &c. Da aber die-
sen und andern vorerwähnten Articuln und
Puncten einiges zuwieder erlanget / oder aus-

D gehen

gehen würde / das alles soll krafftlos / todt/
und ab seyn / immassen wir es auch jeso
als dann / und dann als jeso hiermit cassi-
ren / tödten und abthun ic.

§. XXXII.

Ergo, ut ab odii plena voce exauctoratio-
nis abstineamus, putamus, quod vi sancite
in allegato articulo nullitatis actuum contra
Capitulationem susceptorum, integrum sit Or-
dinibus Imperii; vi etiam bellica resistere injus-
tis Cæsaris moliminibus, qualia quidem vix
præsumi debent à Principe vere bono.

§. XXXIII.

Hactenus disquisivimus, an & quomodo
Capitulatione teneatur summus in Germania
Imperans? Brevissimis adhuc videndum, an &
quomodo idem obligetur ad alias leges funda-
mentales Imperii, v. g. Auream Bullam, Pa-
cem Profanam, Pacem Relig., Pacem West-
phaliam, & alios Recessus Imperii?

§. XXXV.

Citra hæsitationem vero heic idem, quod
supra

supra de Capitulatione sentimus; Nimirum
servare leges illas omnes debet, non tanquam
leges stricte dictas, quæ à superiore profici-
cantur, sed tanquam pacta, (quemadmodum
universum jus Publ. Germ. videtur esse pacti-
tum;) Quod si iisdem contrarii quid statue-
rit, irritum atque nullum hoc fore declaratur
art. 37. Cap. Jos. juncto art. 2.

§. XXXVI.

Patet ita simul ab obligatione ista ad leges
fundamentales Imperij, inconvenienter inducere
personatum Hippolitum à lapide: Quod sit
Imperator Ordinibus inferior. Utut enim
Capitulatio, & vinculum, quo ad reliquas
leges publ. adstringitur, ablolutum Ipsi non
permittant Imperium, summam tamen Eidera
Majestatem negare ideo non possumus, cuius
affectiones sunt: Quod sanctus sit, & eminen-
tiori quondam modo inviolabilis, quod ne-
mini tanquam superiori rationes reddat, quod
summa per Imperium existimatione & præce-
dentia gaudeat &c.

§. XXXVII.

Sed transeat nunc ad Status Imperij
D 2 Germ.

Germ. Quæritur, quibus hi adstricti vivant legibus, & quomodo?

§. XXXIX.

Juvabit autem paucissimis heic antea considerasse, quænam sit forma Imperii Germanici? Ubi quidem diversissimas deprehendimus scriptorum sententias, certissimo argumento Reip. valde irregularis.

§. XXXIX.

Facile tamen patet, ad leges absolutæ Monarchiæ eandem nequicquam quadrare, unde nec Aulæ Cælareæ placuit illa hypothesis à Reinkingio, Stamlero & aliis defensia, *Kulpis. ad Monzamb. P. 2. c. 6. §. 6.* Frustra enim heic quid definiveris juxta legem Regiam, vel juxta idem antiqui R. Imperii, vel ex visione Danielis, vel ex eo, quod Imperator non nisi Deum &ensem superiorem agnoscat, vel ex titulis Imperatoris imperiosis, iterumque ex subjectionis formulis statibus Imperij usitatis.

§. XXXX.

Illi qui Monarchiam limitatam adstruunt, proba-

probabilioribus argumentis utuntur, pariterque qui pro Aristocracia pugnant; Enimvero, quemadmodum ad ea quoque facile respondeatur, ita opera et preium non est, ut contra Religiose (sive Rosenfeldium) disputemus, qui Democratiam Germaniae affingere voluit.

§. XXXI.

Sua sponte etiam cadunt argumenta eorum qui mixtura quadam delectantur. Unde nos subscribimus sententiae, quam Pufendorffius sub Monzambani nomine 1661. protulit, quamque ante ipsum *Conringius Dissert. de Duciis & Comitiis, item de Negot. Convent. Imp.*, porro in not. ad *Lampad.* recte quidem magis soverat, quam vero *Rachelius in Otio Noviomag.* indeque *Illustr. Dn. Thomasius nec non Excell. Dn. Titius* aperte amplexi sunt.

§. XXXII.

Nimirum juxta regulas senioris Politicæ, Germania simplicibus civitatibus accenseri nequit, simul vero colligimus ex historia pacis Westph., vel ex Ipsi Instrumento pacis, item ex Capitulationibus &c, Quod Ordines Imperij

rii singuli exerceant Territorialem Superioritatem jure proprio, ita ut à nemine tanquam à superiore dependeant. Præterea tamen ex historia Comitiorum constat, quod in non-nullis negotiis Publ. Imperij, velut in commune concludi soleat. Unde recte argumentamur: *Ubi cunque Imperium civile à pluribus proprio jure domi exercetur, in quibusdam vero negotiis velut in commune consulitur, ibi forma Reip. obtinet Systematica; Atqui in Germania &c. Ergo.*

§. XXXIII.

Quando inde perspicimus, systema illud non ex pacto expresso, sed ex Monarchia degenerante ortum fuisse, id quod simul ex Schematibus Monarchicis judicamus, quæ latit manifestantur per titulos Imperatoris imperiosos, per subjectionis formulas Statibus Imperij solennes, per investituræ ceremonias & homagium ab Ordinibus Imperij præstari solitum; Tunc sine hæsitatione pronuntiatur: Etie Germaniam Rempublicam irregularēm fluentem inter Monarchiam & Systema Rerum publicarum.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Jam facilius intelligemus, quibus Legibus,
& quâ ratione iisdem subsint Status Imperij? Sci-
licet non tenentur Legibus Civilibus. Adstru-
ximus supra idem de Imperatore, non quidem
argumento *I. penult. C. de Donat. inter virum*
& ux. (quid enim opus, ut ad Leges Civiles heic
recurramus?) sed propter affectiones summi Im-
perii. Ita pari ratione pro Statibus Imperij pro-
nuntiandum, qui certe plus valent in suis Ter-
ritoriis, quam Imperator in Imperio.

§. XXXV.

Sic testamenta valida condent, sine solen-
nitatibus Juris Civilis. Quare Caroli Austria-
ci, Marchionis Burgaviensis testamentum o-
mnibus testibus destitutum, pro legitimo &
valido declaratum fuit abs Facultate Juridica
Tubingensi, referente *Mylero ab Ehrenb. P. s. c.*
26. de Princ. & Stat. I. Sic donationes absque
legitima insinuatione valebunt, & in univer-
sum Principes Imperij in suis actibus observare
non tenentur leges privatas, nisi fortassis una
vel altera legibus fundamentalibus atque ultro-
nea approbatione sufficienter sit confirmata.

§. XXXVI.

§. XXXXVI.

Equidem quatenus Ordines Imp. contrahunt matrimonia, testamenta condunt, tutores constituunt, &c. eatenus ut privati spectantur, adeoque Juri privatorum subesse videntur. Ast cum imperandi conditio simul in iisdem concurrat, inde est, quod circa actus illos privatos non nisi legum divinarum, nulla autem humana-riū attendatur authoritas. In arbitrio tamen Principis erit positum, an ultro has etiam sequi velit.

§. XXXXVII.

Licebit quoque Statibus Imp. leges provinciales condere, Juri communi contrarias, in Camera tamen Imperiali, ubi lites subditorum eo delatae fuerint, valituras, sine Imperatoris concessione speciali. *Ord. Camer. P. I. t. 57.* Accurate hæc respectu Juris Civ. Canonici & Feudalis discussit *Dn. D. Titius in specimine Juris publ.*

§. XXXXIX.

Recessibus Imp. teneri Status, certum est. Interim quæritur: annon interdum iisdem
XXXXX quo-

contra-
tores
ntur,
r. Ast
con-
vatos
nana-
Prin-
velit.

pro-
as, in
orum
atoris
7. Ac-
Feu-
Juris

est,
sdem
quo-

quoque soluti dici debeant? Et respondeatur, quod sic, quatenus nempe iisdem de rebus privatis, v. g. de usurarum quantitate, de forma processus privati &c. deciditur.

§. XXXVII.

Nimirum obligant quidem Recessus I. singulos status per modum conventionis, quatenus iisdem statuitur de negotiis statum publicum Reip. aut personas ipsas Statuum tangentibus; Non vero, quatenus agitur de administratione propriorum Territoriorum. Hæc enim uti ab arbitrio cuiusvis Status pendent in Germania, per ea que supra §. 45. diximus, ita nec Imperatoris nec aliorum Constatuum interest, quænam provincialia statuta circa causas privatorum vigeant in certo Territorio.

§. L.

Proinde tacitum Imperatoris & Constatuum consensum habere præsumitur Status I., ubi usu exigen- te contra tenorem Recessus I. certi, novas leges in ter- ritorio suo subditis præscribit. Neque opus, ut con- tra Recessum illum, cum promulgaretur, protesta- tionem solennem interposuerit.

§. LI.

Imo nulli dubitamus, quin Ordines I. multis hodie soluti sint Recessum Imp. capitibus, quæ non tam territoria Principum, quam ipsum statum publicum Imp. concernunt, quæque olim fortassis

E

reliq

religiose fuerunt observata, nostris autem temporibus usum amiserunt, vel etiam ita sunt comparata, ut effectum intentatum sortiri neutquam valent, postquam facies & forma Reip. Germ. immensum quantum fuit immutata.

§. LIII.

Pleraque certe leges publicæ ob irregularē strukturam Imperii nostri, magis accedunt ad pacta, quam ad leges proprie dictas. Iam uti paciscentium scopus solet omnino esse utilitas publica; Ita apparet facile, hos nolle legibus istis vim inesse diutius, quam quoisque intentata utilitas, per eandem obtineri queat. Utilitas vero legibus intentata tamdiu speratur, quamdiu status idem rerum fuerit. Hoc mutato, ipsæ etiam leges alterantur & mutantur ultro, nec opus est, ut expressa mutatio solennis instituta fuerit.

§. LIV.

Frustra igitur quidam ex *L. sancimus* 27. *C. de testam.*, decantatum illud crepant Brocardicum: *Quod non mutatum est, cur stare prohibeatur.* Afirmandæ potius sunt leges à nostro tempore remotæ ex statu præsenti. Sed plerique legum publicarum interpretatores sine cognitione status publici versantur, inde est quod circa usum & vim legum dignoscendam plerumque turpiter hallucinentur.

§. LIV.

po-
pa-
va-
in-

tru-
ta,
cen-
Ita
di-
ean-
ten-
rum
ntur
uta-

7. C.
um:
Æ-
re-
pu-
spu-
vimi-
luci-

LIV.

S. LIV.

Sic valde errant, qui Status I. post pacem Osnabrugensem teneri putant. *Recessu I. de A. 1555.* § two sie aber item *Recessu I. de A. 1560. tit. Verzeichniß eti. Puncten*, ubi Imperatoris vel saltem Ducis Circuli consensus necessarius dicitur esse Principi, milites Conscripturo.

S. LV.

Simili ratione, si Principes illos, quorum Territoria Electores, vel horum Legati, Imperatorem novum electuri, pertransirent, ad conductionem in A. B. propter securitatem publ. injunctam, hodiè obligatos esse existimes, æque ridendus eris, ac illi, qui juxta rigorem Aureæ B. aqua & pane cibare velint Electores, ubi intra 30. dies electionem Casaream non perfecerint. Plura de hac materia dixi in disputatione de historia Aureæ B., anno 1696, sub meo Praesidio Lipsie habita.

S. LVI.

Sane elapsa sunt illa tempora, quibus Principes in poenam turbatae pacis publ. cogebantur canem scabiosum portare, cuius rei memorabile exemplum de Comite Palatino quodam legisse memini in tractatu *Crusij de Portatione Canum*, qui extat in ejus opusculis juridico politici. Elapsa etiam illa secula, quibus R. I. de a. 1512, tit. 4. & reform. pol. tit. 6. fiscalis Imperii jubebatur inquire in

*blasphemantes Principes & Electores, quibusque
soleennes potationes in Imperio probitæ.*

§. LVI.

Et tamen illæ ipsæ leges nullis unquam contrariis legibus fuerunt abrogatæ. Qvis vero diceret, eas adhuc hodie valere, mutato statu publico?

§. LVII.

Manifestum igitur est, tacite sæpe à legum vili-
berari Status I., pro mutatione temporum. Sic inter
reservata quondam Cælarea collocatum fuit *Jus*
dandi civitatem, ita ut Statibns heic nihil juris
competeret. Enim vero, quis dubitet, cum per
Pacem Ola, concessasit Ordinibus Imp., Territori-
alis superioritas, cum omnibus regalibus (exceptis
quidem iis, quæ expresse reservata sunt,) quis in-
quam dubitet, tacite etiam jus dandi civitatem I-
psis fuisse datum, præcipue cum *jus fortalitionum*
sine contradictione extruendorum Ipsis eadem pa-
ce Westphal. fuerit concessum, ita ut non am-
plius opus habeant, cum Mylero ab Ehrenb. pro-
vocare ad arg. l. sacra 9. ff. muros. 4. D. de rer.
diris. l. per provincias 10. C. de adif. privat.

§. LVIII.

Plura exempla in rem præsentem adducere
possem. Sic curiosam invenisse memini medita-
tionem in *Disputatione L. Brunnemannii de Jure*
fæde-

fœderum Statibus I. competente, ubi disputatur, an Status I., quibus art. 8. I. P. §. gaudеant jus fœderum pangendorum datur, hodienum teneantur ad clauſularа dicto §. gaudеant adjectam: *Salvo tamen per omnia juramento Imperatori & Imperio praefito.* Qua occasione Brunnemannus juramenti hujus naturam, Territorialis superioritatis vim, & judiciorum Imperii publicorum inefficaciam cum cura intuetur.

§. LIX.

Enimvero cum omnibus ferē adminiculis
sum destitutus, dum theses has inaugurales per feſtinationem, & quasi aliud agendo, conſcribere debo, ſimulque tempore nunc me omni excludum videam, vela contraho. Hanc ſaltem adhuc re-
peto in utrum ptaſentis materiarū regulam: *Si de
juribüs bodiernis Statuum Imperii, borumque à
legibus publitis exemptione ſolidè judicare velis, neceſ-
ſum eſt, ut non ad antiquiora tempora, quam
ad tempus Instrumenti Pacis VVestpb. descendas,
neque in vigore credas eſſe leges illas quæ ſolen-
niter non abrogatae.*

COROL-

COROLLARIA.

Jus publicum à Politico tractari potest, imo debet.

Forma Imperij R. Germ, non est Monarchica, nec Aristocratica, nec mixta, sed irregularis, fluctuans inter monarchiam & systema rerump.

Electoribus omni jure competit facultas praescribendi Imperatori Capitulationem, sine consensu reliquorum Statuum, qui proinde jus Concapitulandi frustra usserunt superiori seculo.

Possunt Status Imp. condere leges provinciales contra jus commune.

Idem facient contra Recessus Imp. in quantum ibi disponitur de causis privatis, v. g. de quantitate usurarum, de forma processus &c.

COROL

Possunt

Possunt Status Imperij dare Civi-
tatem sine requisito consensu Impe-
ratoris.

Pupillo Electorali potest dari Tu-
tor testamentarius.

Faciunt status I. testamenta valida
sinè solennibus juris Civilis.

Capitulatio derogat Imperio Cæ-
faris absoluto, non tamen summo.

Origo superioritatis Territorialis
à temporibus Conradi I. minus bene
derivatur.

Est superioritas Territ. jus maje-
staticum, quo singuli status proprio
jure territoria sua administrant ita, ut
à nemine tanquam à superiore de-
pendeant; Vi ejusdem quoque in
Comitiis Imperij voto & sessione
gaudent.

53) o (E)

in dießem Lande
dießes Landes
dießes Landes

390

ULB Halle
005 355 370

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue



DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

De

PRINCIPE LEGIBUS SOLUTO,

Quam

DIVINA ANNUENTE GRATIA,
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRAE CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLE-
SIARUM MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CA-
NONICO CAPITULARI SENIORE,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORII que
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPALE &c. &c.
PRO-RECTORE MAGNIFICO,

Dn. JOANNE PHILIPPO Streit / J.U.D.

*Regiminis Electoralis Moguntini Consiliario, & Facultatis
Juridice p. t. DECANO,*

*Ex DECRETO & AUTHORITATE MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
IN ACADEMIA ERFURTENSI,*

PRO LICENTIA,

*Summos in Utroque JURE HONORES & PRIVILEGIA
DOCTORALIA capessendi,*

In Auditorio Juridico Majori

Die 17. Aprilis 1709. horis confervatis,

publicè defendet

JOHANNES CHRISTIANUS Schelle,

In Acad. Lipsiensi Moralium & Politica P.P. Ordin.

EFFORDIAE, Typis Groschianis, Acad. Typogr.

